



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 87. Facta reconciliatione exercitus a Venetis conscriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

elato Principi dictare libuit, sese subjicere compellebatur (*).

Sæcul. XVI.
A.C. 1510.

§. LXXXVII.

Facta reconciliatione exercitus a Venetis conscriptus.

Veneti Sedi Apostolicæ ita reconciliati, in certam spem restaurandæ suæ Reipublicæ erigebantur; idcirco mox exercitum colligebant, ex mille quadringentis cataphractis, præter equitum leviter armatorum quatuor millia, decemque millia peditum, quos inter recensebantur Sedis Apostolicæ subditi, quibus Venetorum stipendia mereri, a summo Pontifice concedebatur. Unice adhuc desiderabatur exercitus hujus Dux; Comes enim

*Guicc lib 9.
Bembo hist.
Venet.*

(*) Nempe juxta Continuatores summis laudibus extollendi fuissent Veneti, si contemptis Ecclesiæ poenis suæ pervicaciæ insitissent, novum enim inde hausisset documentum, quo Pontificum censuras a Principibus elusas, continuato quasi usu demonstrare valuisset. Ast ejusmodi loquela manifestum facit Scriptoris nostri animum, in omnes, qui gentis suæ studiis quovis pacto adversantur, semper iniquissimum, semperque eos carpere paratum, qui tanquam Ecclesiæ Filii debitam summo capiti obedientiam profitentur.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII.

H

Sæcul. XVI A. C. 1510. nim Petilianus non ita pridem jam Patavii e vivis excefferat. Itaque Senatus Marchionem Mantuanum, tum in arce S. Marci inclusum præ ceteris selegit, cui & ipse Lauredanus Reipublicæ Princeps exercitus imperium deferri voluit, fide, cautioneque præstita, quod semper sua obsequia Venetorum Reipublicæ consecrare vellet. Lubens id munus Marchio, utpote captivitatis toedio victus, acceptabat, moxque filium suum Mantua Venetias in datæ fidei securitatem adduci iussit. Verum Mantuæ Marchionissa ex Estensi familia orta, Maritum suum ignaviæ insimulans, filium suum tradere renuit, illumque datis literis adhortata est, ut potius adversos fortunæ casus fortiter toleraret, nec ab avita Majorum suorum virtute, aut a proprii nominis gloria degeneraret. Senatus ubi a Marchione repulsam tulit, Andream Gritum sollicitabat, qui tamen pari modo hanc provinciam recusavit, caussatus, nunquam se classem rexisse, nec magis prosperum sibi polliceri terrestris exercitus imperium. Eo igitur imperium respuente, Senatores illud Fregosio deferre cogebantur, cui tamen, cum verbis magis quam dexteritate ac rei militaris peritia valeret, brevi Malvezium, postea Balionem subrogarunt.

§. LXXXVIII.